

constet, ex quâ commodiùs reddi possit omnium Phænomenon ratio, examen pro ingenio tentabimus, idq; quàm brevissimis, liberaliores futuri, ubi postulaverit id discursus publicus.

15. *Ad Mercurialem* itaq; per *αερόβουσερον*. Hujus certe sententia nonnullis satis videtur plausibilis, sed nos nimium veremur ut Variolæ queant adoptari in Classem Morborum hæreditariorum: Militant enim contra jus Hæreditarium Rationes M. nostri Sennerti, quæ licet alicubi sint oppugnatae nondum tamen expugnatae. Addimus, vitium illud Aeris Universale seu manifestum id fingatur seu occultum, probatu fore difficilimum, quippe quod præsupponitur saltem absq; historiis: cum tamen credibile non sit, Arabes fuisse tam stolidos, ut, miraculo tanto prætergresso, Morbi novi causam admiserint antiquissimam.

16. *Aerem* non simpliciter repudiamus. Qualitatibus tamen primis nullam largimur hîc efficaciam, nisi in maximè Dispositos. Nec enim Austrino tantum Aere sæviunt hæc mala sed & Aquilonio, sed quovis. Si itaq; hyeme sævissima nonnunquam *επιδημῶσι*, quomodo unus idemq; effectus ex causis contrariis derivabitur? Aerem autem ab impressione cœlesti contaminatum ex Fernel: majori jure admittimus. Cum enim quod modo diximus, malum non rarò sit Epidemium veraque pestis prodromus, & quibusvis etiam Aeris Constitutionibus sæviat in quascunq; ætates, quæ causa præter hanc possit substitui verisimilior, haud videmus. Veruntamen cum hinc ratio peti nequeat, quare nonnunquam *αερόβουσερον* errent hi affectus, rarius autem hominem eundem repetant pluries, quod tamen ab aliis M. Epidemiis alienum non est, in Aere solo nequaquam acquiescimus.

17. *Vitium* igitur meritò subjungimus. In primis autem, quem Embryonum esse diximus, *sanguinis M. reliquias*, hinc *Lactis* quod *sanguinis frater*. Hæc enim sunt, quæ instar musti, ex *Rhasis* sententia, per fermentationem ab Expultrice suo tempore expurgandæ sunt. Quid mirum inde, si vim hanc persentiscant omnes, cum absq; hoc Nutricatu lucem videre nequeant? quid mirum si vel ipsi foetus utero materno adhuc sepulti,

cum

Gal. 14.
V. P. 8.